

3. *Bonæ memoriæ.*—Postulatio, per quam privata, vel minor utilitas communi, vel majori præfertur, vel quæ fit à minori, quàm à tertia parte collegii, admitti non debet.

4. *Bonæ memoriæ.*—Archiepiscopus in Archiepiscopum postulat. Et ex quo postulatio præsentata est Papæ, non possunt postulantes ab ea recedere, sed debet Superioris Judicium expectari.

5. *Postulationem.*—Postulatio, contra quam agitur de contempto, potest sine præjudicio alicujus rejici; potest tamen de speciali gratia admitti.

6. *Etsi.*—Episcopus non est eligendus ad aliam dignitatem, sed postulandus.

IN SEXTO.

Cap. un. *Perpetuo.*—Si quis eligat postulando, vel postulandum, vel in postulandum, vel postulet eligendo, vel eligendum, vel in eligendum; talis electio vel postulatio est irrita ipso jure. Si autem dicat, eligo et postulo, prout melius de jure valere potest, idem: nisi probabiliter dubitaretur, an esset eligendus vel postulandus, et tunc consensus tempore eligat alteram viam, electionis scilicet vel postulationis, qua electa, ad alteram redire non poterit.

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.—Ibi tit. II.

Cap. unic. *Dispendiis.*—Minores 23 annis sæculares, et mendicantes Religiosi ad certas Ecclesias prohibentur postulari, et puniuntur tam postulantes, quàm postulati.—Per ly *ad certas Ecclesias*, quoad sæculares intellige ad Cathedralibus; quoad regulares mendicantes intellige ad Ecclesias inferiores Cathedralibus, et ad regimen Monasteriorum extra proprium Ordinem, ut in textu.

TIT. VI.—DE ELECTIONE, ET ELECTI POTESTATE.

Cap. 1. *Nullus.*—Ecclesiæ collegiata non debet provideri de Prælate per collationem seu provisionem, sed per electionem canonicam faciendam per ipsum Collegium.—Hodie attendenda est regula 2. et 3. Cancellariæ de Reservationibus, ubi non sunt concordata à Sede Apostolica admissa.

2. *Osius.*—Electus ad clamorem populi, non debet per Superiorem confirmari.—Est enim nulla electio, cum ab ea laici repellendi sint Can. 16. *si ergò*, 8. q. 1.

3. *Postquam.*—Electio canonica confirmanda est; debet tamen Superior ante confirmationem inquirere de conversatione et vita electi, ubi fuit conversatus.

4. *Significasti.*—Electo in Archiepiscopum Sedes Apostolica pallium non tradet, nisi prius præstet fidelitatis et obedientiæ juramentum.

3 Idem Cleric. Ravenn. Eccl.

4 Idem Præposito, et Capit. Strigon.

5 Idem Cap. Strigon.

6 Honor. III. Capit. Calarit.

Un. Bonif. VIII.

Un. Joan. XXII. Avenioni.

1 Luc. I.

2 Ex Conc. Sardicen.

3 Greg. I.

4 Paschalis I. vel sorte II. Panormit.

Archiep.

5. *Quia.*—Si schismaticus ad unionem Ecclesiæ reversus eligitur in Episcopum, electio non tenet, sed ex dispensatione potest confirmari.

6. *Licet.*—Electus in Romanum Pontificem à duabus partibus Cardinalium, nulla exceptione obstante, est Papa. Electus autem à minori numero, gerens se pro Papa, incidit unà cum sibi adhærentibus in pœnas contentas in hoc cap.—Circa formam eligendi Papam attendenda sunt Constitutiones Gregorii XV. *Æterni Patris*. 17. kalen. decembris 1621. in cujus calce specialiter et expressè derogat huic Decretali, ac Constit. Urbani VIII. *Ad Romani*. 5. kalen. feb. 1625., quæ dictam Gregorii Constitutionem *Æterni Patris* confirmat, et novissima Constit. Clement. XII. *Apostolatus Officium*. Vide etiam decretales Greg. X. Cap. *Ubi periculum*. 3. hoc. eod. tit. in 6., et Clement. V. Cap. *Ne Romani*. 2. hoc. eod. tit. in Clementinis; ac Constitutiones Clement. VI. *Licet*. Clement. VII. *Cum charissimus*. Pauli IV. *Cum secundum*. Pii IV. *In eligendis*.

7. *Cum in cunctis.*—Electio ad Episcopatum fieri debet de digno scientia, moribus et ætate, et quod habeat trigesimum annum completum, et sit de legitimo matrimonio natus.—Concordat. Trident. *sess.* 7. c. 1. *sess.* 22. cap. 2. *sess.* 24. c. 1. *de reform.*, et vide correctionem Elencho II. n. 14. et innovationem Elencho IV. n. 2.—Beneficia electi in Episcopum vacant per confirmationem, adeptionem possessionis, et consecrationem sequutam: vel postquam præfixum tempus ad petendam consecrationem lapsum fuerit.—In dignitatibus et officiis circa Episcopatum, ac curatis beneficiis debet assumendus vigessimus quintus annus attigisse; et aliàs esse idoneus scientia et moribus, et si non est in ordine requisito, debet se facere promoveri in proximis temporibus, aliàs monitus non parens, privatur beneficio, non obstante appellatione, nisi ex causa legitima excusetur.—Vide correctionem Elencho I. n. 3.—Eligentes indignum contra formam hujus capituli privati sunt pro prima vice potestate eligendi, et idem in collatore; et defectum Capituli supplet Episcopus, et e converso. Et si Capitulum negligit, fit devolutio ad Metropolitanum.

8. *Causam.*—Compromittentes super electione tenentur recipere electum à compromissario, si est idoneus.

9. *Nosti.*—Electus ante confirmationem beneficia conferre, vel aliter administrare non potest.—Vide correctionem Elencho I. n. 4. et Cap. *Junctæ* 1. in Extravag. com. hoc. eod. tit. infra.

10. *Consideravimus.*—Electio facta post appellationem, et prima non cassata, et contra privilegia Ecclesiæ, cassanda est.

11. *Suffraganeis.*—Metropolitanus confirmatus, licet nondum receperit pallium, potest suum Suffraganeum consecrari facere.

12. *Super eo.*—Is, cujus electio fuit cassata non vitio personæ, sed electionis modo, iterum eligi potest: secus si vitio personæ.

5 Alex. III. P. Præshyt. Gard. Apost.

Sed. Leg.

6 Idem ex Conc. Lateran.

7 Idem ibid.

8 Idem Raven. Archiep.

9 Idem Wigoren. alii Exonien. Episc.

10 Idem.

11 Alex. III.

12 Idem alii Clem.

13. *Cum monasterium.*—Non professus potest postulari in Abbatem, si ex aliqua bona causa fiat talis postulatio.

14. *Cum terra.*—Electio debet esse in libertate eligentium, nec valet contraria consuetudo.

15. *Transmissam.*—Per confirmationem electionis non transfertur potestas exercendi ea, quæ sunt Ordinis; illa enim transferuntur per consecrationem:— Vide notata in cap. *Nosti* 9. hoc. eod. tit. supra.

16. *Cum inter.*—Qui electioni de se factæ renuntiat, appellare nequit ad impediendam electionem alterius; et electio, quæ est à suspensis celebrata, non tenet.

17. *Qualiter.*—Si electus non habet sufficientem scientiam, vel ante confirmationem administrat, ejus electio cassari debet.— Vide notata in c. *Nosti* 9. supra, et correctionem Elencho I. n. 5. "

18. *Cum inter.*—Si vocantur ad electionem non vocandi, valet electio facta, eis non expectatis.

19. *Cum nobis.*—Non debet inspicere, an post appellationem, sed an contra electio fuerint celebrata, et penes vocantes, quibus competit vocandi potestas, remanet jus eligendi, si vocati venire contemnunt; et ad officium confirmatoris spectat examinare electum, et jam nemine opponente, et nisi electus doceatur legitime ætatis et litteraturæ, habetur pro non legitime electo.

20. *Innotuit.*—Illegitimus potest postulari, non autem eligi; et Electores, nisi probaverint illum ignoranter elegerisse, incidunt in pœnas Lateran. Conc. sub Alex. III. cap. *Cum in cunctis* 6.

21. *Cum inter.*—Non possunt Electores in præjudicium electi compromittere; sed si consenserit electioni suæ, vel consentire velit, non obstante laudo in contrarium lato, est confirmandus, si aliud canonicum sibi non obsistat, licet non sit de gremio illius Ecclesiæ, quamcumque ob causam à majori parte fuerit appellatum.

22. *Dudum.*—Electus à majori et saniori parte Capituli, si est et erat idoneus tempore electionis, confirmabitur; si autem erat indignus in Ordinibus, scientia vel ætate, et fuit scienter electus (*intellige non confirmabitur*), electus à minori parte, si est dignus, confirmabitur.

23. *Bonæ memoriæ.*—Recipientes Postulatum ad Ecclesiam tanquam institutum, vel administratorem ante admissionem postulationis à Superiore factam, privati sunt potestate eligendi, et ad alios, licet pauciores devolvitur potestas eligendi; et si omnes privati sunt, devolvitur ad Papam in Ecclesiis cathedralibus.

24. *Querelam.*—Sufficit electo ad obtinendum docere eligentem fuisse

13 Cœlest III. Cenoman. Episc.

14 Idem.

15 Idem Helien. Episc.

16 Innoc. III. N. de Cella S. Petro, et N. Mitren. Abb. et N. Præpos. Verden.

17 Idem Cap. Pennen.

18 Idem Capit. Capuan.

19 Idem Archid. et Cap. Capuan.

20 Idem Cantuar. Archiep.

21 Idem Archiep. Januen. et Placen. et Bobien. Episc.

22 Idem Præneste Episc. Apost. Legat.

23 Idem Canonicis Moguntin.

24 Idem Clericis S. Agathes.

in quasi possessione (*supple eligendi*) tempore electionis, licet non probet, quod proprietas juris eligendi ad illum pertineret.— De jure patron. vide additiones meas lib. III. tit. 38. post num. 352. "

25. *Cum Wintonensis.*—Eligentes scienter indignum, privati sunt potestate eligendi, in electione, quæ primò occurrit facienda.

26. *Per inquisitionem.*—Eligens scienter indignum in Episcopum est ob hoc suspensus à beneficiis Ecclesiæ per triennium, nec potest interiri ad dignitatem illius eligi, vel assumi.

27. *Cum causam.*—Si non professus eligitur ad regimen Ecclesiæ regularis, cassatur electio, consuetudine in contrarium non obstante.

28. *Quod sicut.*—Nominatio, vel appellatio ejus, cujus non interest, electionem non impedit, sed si vocandus contemnitur, eo prosequente contemptum, cassatur electio etiam confirmata; et potest prosequi, nisi consenserit electioni, quod potest etiam ex post facto.— Episcopus, dum celebratur Missa consecrationis suæ, vel Archiepiscopus ante receptum pallium, Ordines conferre non debet.— Hic Glossa verb. *dividatur* advertit Sacros Ordines non posse conferri extra Missarum solemniam; et quidem peragenda ab ipso Ordinatore per se, et non per alium juxta Pontificale Romanum à Clement. et Urbano VIII. approbatum. Et licet ordinatio esset valida, si secus fieret; non evaderetur tamen grave peccatum, cum tunc divideretur ministerium, ut ostendit Benedictus XIV. lib. 8 de Synod. Diœc. c. 11. à n. 5 ad 7 edit. an. 1755. "

29. *Auditis.*—Electio per minorem partem Capituli facta non tenet, nec per subsequentem consensum ratificari potest.

30. *In causis.*—Potestas data Compromissariis ad eligendum Prælatum, re non integra, revocari non potest; et desinit res esse integra, postquam Compromissarii ceperunt habere tractatum.

31. *Cum Ecclesia.*—De consuetudine potest canonicorum electio ad solum Capitulum pertinere.

32. *Cum dilectus.*—Compromittentes tenentur recipere Electum à Compromissariis, si sit dignus, nisi contra formam compromissi eum appareat electum.

33. *Cum in jure.*—Si ex septem Compromissariis tres eligunt quartum, et ille consentit, et est idoneus, confirmabitur electio.

34. *Venerabilem.*—Electio Imperatoris spectat ad Principes Germanos, tres Prælatos, et quatuor laicos; et electio facta per eorum majorem partem, ceteris non contemptis, tenet, et ad Papam pertinet Electum

25 Idem.

26 Idem Ab. Cisterciens. R. P. Monach. Fontis Frigidi, Inquisitorib.

27 Idem A. Priori S. Frigidiani, et G. et G.

28 Idem I. tit. S. Steph. in Cælio Monte Presbyt. Card. Apost. Sed. Leg.

29 Idem Dolnensi Episc., et Samneio, et de Ardenæ Abb.

30 Idem Episc. Grandis Silvæ Belieperticæ Abbati.

31 Idem Episc. Florent.

32 Idem Ab. S. Victoris. Decano Parisien., et Magist. R. de Coizon. Canon. Noviem.

33 Idem Episc. Bojoiens.

34 Idem Duci Zaringiæ, seu Turingiæ,

examinare, approbare, et inungere, consecrare, et coronare, si est dignus, vel rejicere, si est indignus, ut quia sacrilegus, excommunicatus, tyrannus, fatuus, et hæreticus, paganus, perjurus, vel Ecclesiæ persecutor; et Electoribus nolentibus eligere, Papa supplet. Et data paritate vocum eligentium, nec accedente majori concordia, Papa potest gratificari cui vult.

35. *Coram.*—Absentem ad electionem de Provincia sunt vocandi, et confirmatur electio majoris et sanioris partis.

36. *Bonæ memoriæ.*—Cassatur electio partis majoris facta, contempta minori parte, etiamsi est unus solus; non tamen jus eligendi devolvitur ad minorem.

37. *Cum ad nostram.*—Non monachus in Prælatum regularem eligi non potest.—Concordat Trident. sess. 6. c. 2. sess. 21. c. 8. sess. 24. c. 17. sess. 25. c. 20 de Regul., et præcipue sess. 14. cap. 10 quando Prælatum regularis conferenda est in titulum. Quando verò monasteria commendantur, attendenda est dispositio Conc. Lateran. sub Leone X. sess. 19.

38. *Officii.*—In Abbatem eligi non potest, nisi instructus in regula monachali.

39. *Illæ.*—Electio aliàs canonica confirmatur, licet quidam eligentium essent minori excommunicatione ligati.—Si agatur de electione Papæ, non vitiat, licet aliqui eligentium essent majori excommunicatione ligati cap. *Ne Romani* 11 in Clement. hoc eod. tit. ad evitandum schisma, aliaque Ecclesiæ incommoda.

40. *Scriptum.*—Si postulatio cum electione concurrat, et numerus postulantium est duplo major, et postulatus est idoneus; postulatio admittitur, rejecta electione. Si verò indignus, et hoc major pars postulantium ignoraverit, postulatio et electio reprobantur. Si verò sciebant, et Electus est idoneus, confirmatur electio; et idem si numerus postulantium non est duplo major.

41. *Nec pro defectu.*—Si illi, ad quos spectat electio, negligunt eligere Prælatum cathedralis, vel regularis Ecclesiæ infra tres menses, proximus superior Ecclesiam ordinabit; quod si infra tres alios menses non fecerit, canonicè punietur.

42. *Quia propter.*—Per aliquam de tribus formis, scilicet, scrutinii, compromissi, et inspirationis, procedi debet ad electionem in Ecclesiis cathedralibus; aliter electio celebrata non valet, et contra facientes privandi sunt ea vice potestate eligendi.—Etiam Abbas perpetuus Cistercii, Generalis Cluniacensis, et alii Abbates perpetui eligendi sunt secundum formam hujus decretalis, cui Trid. non derogavit, sed vide correctionem quoad alios Regulsres Elencho II. n. 45. —Interdicit procu-

- | | |
|--|-------------------------------------|
| 35 Idem. | Presbyt. Card. Sed. Apost. Leg. |
| 36 Idem Parmen. Episc., et ejus Con-judicib. | 39 Idem. |
| 37 Idem. | 40 Idem Magist. Maximo Notar. Papæ. |
| 38 Idem M. tit. S. Laur. in Lucin. | 41 Idem in Conc. Lateran. |
| | 42 Idem ibid. |

ratorem in electionis negotio constitui, nisi constituens sit absens à loco, de quo debeat vocari, et legitimè impeditus accedere nequeat, præstito etiam juramento, si opus fuerit de impedimento; nec constituere potest procuratorem eum, qui non est de collegio eligentium.—Præcipit electiones solemner publicari, et clandestinas reprobari.

43. *Quisquis.*—Consentiens electioni de se factæ per abusum potestatis sæcularis, efficitur ineligibilis ad dignitatem, et electio est nulla. Eligentes autem à beneficiis per triennium suspenduntur, et tunc sunt privati potestate eligendi.

44. *Nihil est.*—Si Prælatus per negligentiam confirmavit indignum electum ad regimen animarum, perdit potestatem confirmandi primum successorem, et à perceptione proprii beneficii suspenditur, et promotus dejicitur; si verò per malitiam hoc fecit gravius punitur. Electi verò immediatè subjecti Papæ, per se aut per personas instructas debent adire Papam, et petere confirmationem. Et si sint electi in concordia, et valde remoti, videlicet ultra Italiam constituti, interim administrant; ita tamen, quod nil alienent: benedicuntur autem et consecrantur, prout consueverunt.—Vide omnino cap. *Injunctæ* 1. in Extravag. com. infra, et ibi notata.

45. *Ut præterita.*—Expensæ necessariæ, quas facit Capitulum pro electione Prælati, de bonis prælaturæ debent fieri, vel reddi.

46. *Cum post.*—Electio post collationem ex intervallo celebrata, non valet.

47. *Constitutis.*—Monachus unius monasterii alterius factus Abbas in electione Abbatis prioris monasterii vocem non habet, etiam si tale jus ab Abbate monachis prioris monasterii sibi fuit reservatum.

48. *Ecclesia.*—Electio debet redigi in scripturam et publicari, et de illo, in quem consenserit major pars Capituli, et non respectu aliarum partium.

49. *Cum in magist. um.*—Non professus in Abbatem eligi non potest.

50. *Cumana.*—Electio, facta à non majori parte Capituli et ommissa collatione, non valet.

51. *Sacrosanta.*—Per compositionem factam cum Prælato et Capitulo, non potest jus eligendi competere laico etiam patrono in Ecclesia collegiata.

52. *Cum in veteri.*—Si per Papam mandatur habentibus eligere, quod eligant cum consilio aliquorum, alioquin consilarii provident; eligentes debent consilium requirere in tractatu electionis, et congruo tempore expectare responsum, aliàs electio non tenet.

- | | |
|--|--|
| 43 Idem ibid. | 48 Idem Rotomag. Cap. |
| 44 Idem ibid. | 49 Greg. IX. |
| 45 Honor. III. Capit. Constantinop. | 50 Idem Cumanen. Cap. |
| 46 Idem Electo Lunden. | 51 Idem Abbati Cluniacen. |
| 47 Idem P. Bolcen. Prior S. Barb. Lexovien. Diac. et Magistr. V. de Cappella Concell. Rotomag. | 52 Idem Decano. et Cap. S. Joan., et S. Steph. Bisuntinen. |

53. *Congregato*.—Si major pars Capituli scienter eligit indignum, valet electio de digno à minori parte, etiam ex eodem scrutinio facta.

54. *Dudum*.—Habens plures dignitates, vel plura beneficia curata sine dispensatione Papæ, ineligibilis est.—Vide correctionem Elencho II. n. 16. **

55. *In Genesi*.—Irrita est electio, quam collatio non præcessit; vel quæ facta non est à majori parte capituli; vel quæ non fuit communis.

56. *Massana*.—Non valet electio Pontificis per laicos et canonicos facta, etiamsi hoc habeat consuetudo.

57. *Ecclesia*.—Non sufficit ad confirmationem electionis, quòd sit facta à majori parte capituli, nisi etiam illa pars sit sanior.—Vide c. *Quia propter* 42. et c. *Cumana* 50. hoc eod. tit. circa majorem et saniozem partem.

58. *Publicato*.—Publicato scrutinio, non possunt Electores variare, sed compelli debent ad collationem et electionem.

59. *Si alicujus*.—Cassata electione propter simoniam, etiam sine culpa electi, non dispensat Episcopus ea vice cum cassato; secus si Electus liberè resignavit.

60. *His quibus*.—Electoribus impeditis currit tempus, si possunt impedimentum tollere.

IN SEXTO.

Cap. 1. *Statuimus*.—Si aliquid opponatur contra provisionem, electionem, vel postulationem factam ad personatum, dignitatem, vel canonicam in personam vel formam, et ob hoc fuerit appellatum ad Papam, appellans, et defendens, et quorum interest, à die objectionis intra mensem arripiant iter eundi ad Papam.—Si pars altera expectata per viginti dies post adventum alterius non venerit, in negotio procedatur.—Non probans, quod in formam opponit, condemnatur parti alteri in expensis; non probans, quod objecit in personam, est à beneficiis triennio suspensus, et perpetuò privatus, si se interim ad illa miscuerit. Hæ pænæ locum non habent, si legitime pateat eum calumniosum non fuisse.—Vide circa appellationem alia sancita à Clemente V. in Clementina hoc eod. tit. cap. *Causam* 3. **

2. *In electionibus*.—Vota conditionalia, et alternativa, et incerta in electionibus reprobantur, et habentur pro non adjectis, et recidunt in purè consentientes.

3. *Ubi periculum*.—Ponitur causa Constitutionis, et juris veteris conservatio.—Ponitur quomodo debeat fieri Romani Pontificis electio, quando moritur in civitate, in qua cum sua Curia residebat.—Quid juris,

55 Idem Episc. Silvanecten.

54 Idem Silvanecten. Episc. et Joan. de Mentemorabili Archid. et Successorii.

55 Idem.

56 Idem Cap. Massano.

57 Idem Capit. Cathalaun.

58 Idem.

59 Idem.

60 Idem.

1 Innoc. IV. in Conc. gen. Lugdun. an. 1245. in Gallia.

2 Idem.

3 Gregor. X. in Conc. gen. Lugdun. an. 1275. in Gallia.

quando moritur Romanus Pontifex extra civitatem, in qua erat Curia.—Dat exequutores huic juri cum pœnis.—Obtestatur Cardinales, ut in electione Romanis Pontificis deponant omnem privatum affectum, et cassat omnia pacta, obligationes et juramenta, quæ data, vel facta essent de aliquo eligendo. Monet omnes fideles, ut statim audita Summi Pontificis morte, ejus celebrent exequias, et quotidie orent pro vigili, concordia, et utili provisione Romanæ Ecclesiæ. Prælati autem in suis prædicationibus ipsos subditos ad hoc hortentur, et eis frequentiam orationum indicant.—Vide confirmationem, et ampliationem hujus Decret. cap. *Ne Romani* 2. in Clementin. hoc eod. tit., et notata in cap. *Licet* 6. supra. Circa jurisdictionem verò collegii Cardinalium Sede vacante, attendenda est Constit. Pii IV. *In eligendis* 7. Idus Octobris 1562. §. 6. ibi: In iis quæ ad Pontificem maximum, dum viveret pertinebant, nullam omnino potestatem aut jurisdictionem habeat; neque gratiam, neque justitiam faciendi, aut factam per Pontificem mortuum executioni demandandi, sed ea omnia futuro Pontifici reservare teneatur.

4. *Ut circa*.—Appellantes contra electiones, postulationes, vel provisiones, omnia, quæ objicere intendunt contra personam, vel formam, tenentur exprimere, et jurare, quod illa credunt vera esse, et ea se posse probare. Super non expressis ipsi vel adhærentes eis, non audientur, nisi de novo emergat, vel perveniat, vel superveniat probandi facultas, super quo jurare debebunt. Statutum Innocentii cap. *Statuimus* 1. supra, editum contra non probantes, quæ objiciuntur in personam, vel formam in suo robore conservatur.—Vide declarationem in c. *Constitutio* 41. infra. **

5. *Avaritiæ*.—Electus ante confirmationem administrare non debet per se, vel per alium, in totum, vel in partem, sub quocumque colore; qui contra fecerint, ipso jure privati sunt jure ex electione quæsito.

6. *Quam sit*.—Eligentes quam citò commodè possunt, electionem Electo præsentent. Electus intra mensem consentiat, aliàs privatus est jure quæsito, nisi conditio personæ ipsum excuset. Post consensum confirmationem petat intra tres menses, aliàs electio viribus vacuetur.—Ubi non sunt concordata à Sede Apostol. admissa, attendenda est regula 2. et 3. Cancellariæ, de *Reservationibus*. **

7. *Perpetuo*.—Si non sequatur electio, non est quis ex consensu in scrutinio scienter habito in indignum, eligendi potestate privatus.

8. *Nulli*.—Eligens, vel electioni consentiens contra electum, nisi ex nova causa, vel noviter ei pandita, se nequit opponere, vel renunciare.

9. *Si quando*.—Contra electum à duplo majori parte, vel electores ipsius, nil à reliqua parte potest opponi, quod votum extenuet: sed opponi potest id, quod votum annullat ipso jure.

10. *Quamvis*.—Appellatio judicialis, vel extra, devolvit causas electionum Episcoporum et superiorum ad Papam, si in scriptis et ex causa

4 Idem in eod.

5 Idem in eod.

6 Idem in eod.

7 Idem ibid.

8 Idem ibid.

9 Idem ibid.

10 Idem ibid.

probabili fuerit interjecta; alias non: et ab ea possunt partes sine pravitate recedere, priusquam Papæ præsentata fuerit: et an in recessu intervenit pravitas, inferiores Judices ante omnia debent inquirere: quam si repererint, de causa non cognoscent, sed statuent partibus terminum, in quo cum actis et munimentis se Apostolico conspectui repræsentent.— Quæ sit causa non probabilis, seu frivola, vide c. *Cum appellationibus* 5. tit. de Appellat hoc eod. lib. "

41. *Si fortè.*—Si inter reliqua, quæ obijciuntur promovendo ad dignitatem, obijcitur evidens defectus scientiæ, vel personæ, illud ante omnia examinari debet. Et si reperietur falsum, opponens à prosecutione negotii repellitur, et punitur perinde ac si defecisset in probatione omnium objectorum.— Vide declarationem c. *Constitutionem*, 44. de Verb. signific. hoc eod. lib. "

42. *Sciant.*—Qui gravaverit aliquam parsonam ecclesiasticam, vel ejus consanguineos, vel Ecclesias, seu bona pro eo, quod eum, pro quo rogabatur, eligere noluit, ipso facto excommunicatus est.— Circa gravamina Ecclesiasticis illata, vide c. *Felicis* 5. de Pœnis hoc eod. lib.

43. *Generali.*—Primò punit usurpantes de novo custodiam bonorum vacantium Ecclesiarum. Secundò punit Clericos, et Monachos hoc fieri procurantes. Tertio punit Clericos se talibus non opposcentes. Quarto ponit qualiter debeant se habere habentes talem custodiam ab antiquo.

44. *Licet canon.*—Parochialis Ecclesia nemini conferatur, qui non sit idoneus scientia, moribus et ætate; et si conferatur non attigenti vigesimum quintum annum, non valet collatio. Ille autem, cui talis Ecclesia collata fuerit, tenetur personaliter residere, et intra annum Sacerdos fieri: si autem promotus non fuerit, elapso anno, privatus est ipso jure. Super residentia autem Prælati ejus ad tempus poterit dispensare.— Conc. Trident. sess. 23. cap. 4. de reformat. §. *Eadem omnino* restringit tempus dispensationis super residentia ad bimestre, nisi ex gravi causa majori tempore dispensatus fortasse egeat. De dispensationis autem causis, vide correctionem Elencho I. n. 6., ac innovationem Elencho IV. n. 3. "

45. *Nemo deinceps.*—Parochialis Ecclesia non commendetur, nisi constituto in ætate legitima et sacerdotio; et tali non nisi una, et illa tunc demum, cum necessitas, vel utilitas exigit. Talis autem commenda ultra sex menses non duret. Quod contra prædicta factum fuerit, est irritum ipso jure.— Huic Decretali, sicut et alteri Conc. Lateran. relata in cap. *Nulla* 2. de Conces. Præben. in ea parte, qua præcipitur dictam commendam ultra sex menses non debere durare, non esse derogatum à Trident. sess. 24. c. 48. de refor. probat Fagn. cap. *Cum sit ars* 14. de ætat. et qualitat. Præficiend. à num. 41. ad 46., quidquid in contrarium

41 Idem ibid.
42 Idem ibid.
45 Idem ibid.

14 Idem ibid.
15 Idem ibid.

sentiat Zipæus in Analytica correctione juris Pontific. novi lib. 3. num. 45. de Elect. Licet enim ab eodem Trident. præscribatur debere Episcopum intra decem dies idoneos aliquos clericos ad regendam vacantem parochiam coram deputatis examinatorebus nominare; non inde sequitur hoc tempus præscribendum esse statim ab habita notitia vacationis, cum ly statim relationem habeat ad deputationem Vicarii, non verò ad concursum pro examine nominandorum faciendo; ideoque concludit tam ex his decretalibus, quam ex Trident. posse Episcopum differre, etiam juxta proximam electionem usque ad sex menses, si parochia in suis mensibus vacaverit; et usque ad quatuor, si vacaverit in mense S. Sedi reservato, ex Const. S. Pii V. *In conferendis*, à quo tamen prohibetur prorogatio dictorum decem dierum ad nominandum præfixorum.

46. *Cupientes.*—Hæc Decretalis fuit multum utilis, antequam Papa reservaret sibi provisiones Episcopatum, cujus tamen summarium vide in Glosa 4.— Hodie attendenda est Extravag. Benedict. XII. *Ad regimen* inter communes de præbend., et Regula. 2. et 3. Cancellariæ de *Reservationibus* Cathedralium, et Monasteriorum in iis locis, ubi non sunt concordata ab Apostol. Sede admissa. "

47. *Fundamenta.*—Statuit hic Nicolaus III., cujus gradus et qualitas esse debeat eligendum in Senatorem Urbis Romæ.

48. *Quamquam.*—Canonicis cathedralis Ecclesiæ ipso jure, vel per sententiam, præterquam in casu negligentia, eligendi potestate privatis, ad Papam jus devolvitur eligendi. In inferioribus Ecclesiis semper ad proximum Superiorem devolvitur.— Vide notata c. *Cupientes* 46. supra. "

49. *Is qui.*—Constitutioni *Ut circa* (4. supra hoc eodem lib.) non satisfecit appellans, qui disjunctivè juravit se credere opposita esse vera, vel quæ sufficere deberent ex eis.

20. *Qui contra.*—Qui contra certam personam, ne eligatur, appellat, Constitutionem *Ut circa* servare tenetur.

21. *Sicut.*—Si compromissum est in plures, ut eligant, per unum facienda est electionis pronuntiatio; sicut quando proceditur per formam scrutinii: aliter electio facta non tenet.

22. *Statutum.*—Decretalis *Licet canon.* c. 44. hoc eod. lib. in collegiatis paræcialibus Ecclesiis, et assumptis ad earum regimen, locum non habet.

23. *Si cui.*—Si compromissarius secundum traditam sibi metam (scrutatis, et in scriptis redactis voluntatibus singulorum) illum eligat, in quem non major pars Capituli, sed plures aliorum comparatione consenserant, non tenet electio, cum præter formam cap. *Quia propter* 42. supra in Greg. fuerit celebrata.

16 Nicol. III.
17 Idem.
18 Bonif. VIII.
19 Idem.

20 Idem.
21 Idem.
22 Idem.
23 Idem.

24. *Quorundam.*—Ex vocatione quocumque modo facta in discordia de Religioso mendicante ad Prælaturam extra administrationem sui Ordinis, non acquiritur illi jus; nec consentire poterit, etiam de Prælati licentia. Idem de vocatione facta à minori parte numero ad quamlibet Prælationem de Religioso non mendicante; et secus factum irritum decernit. Et ponit istud cap. unum speciale in mendicantibus.—* Vide declarationem cap. *Quod circa* 6. hoc eod. tit. in Clemen. **

25. *Ut quis.*—Non potest electus duas electiones prosequi, petendo confirmationem unius ex illis, etiamsi protestetur se contentum altera, per quam consequi possit suæ intentionis effectum. Necessè ergò habet alteram eligere, qua electa, ad alteram redire non poterit.

26. *Si electio.*—Si electus non consentit, vel post consensum renuntiat, vel moritur, vel propter occultum sui vitium electio cassatur, eligentes ad eligendum ex tunc integrum tempus habebunt, nisi circa id egerint fraudulenter.

27. *Si Religiosus.*—Si Religiosus, non obtenta licentia, consentit electioni de se factæ extra suum monasterium, non valet consensus, et irrita est electio.—Solum Superior sine conventu dare potest suo Religioso consentiendi et transeundi licentiam.—* Vide correctionem Elencho I. n. 7. **

28. *Nullus.*—Monachus in Abbatem eligi non potest, nisi sit expressè professus. Ad dignitatem autem Episcopalem, et in sæculari et in regulari Ecclesia, talis eligi poterit.—* In textu disponitur, ut si monachus professus sit, eligi possit in Abbatem etiam alterius Ordinis; sed vide correctionem Elencho I. n. 8. **

29. *Cum expediat.*—Forma electionis tradita per Decr. *Cum dilectus* 32. non est sublata per cap. *Quia propter* 42. de Elect. supra in Greg.

30. *Cum non deceat.*—Accedens ad Sedem Apostolicam pro instruendo negotio electionis per Decr. *Cupientes*, eundo hac de causa, stando, et redeundo integrè, præter quotidianas distributiones, percipit fructus beneficiorum, quos percipere posset in ipsa Ecclesia residendo.

31. *Ab eo.*—Is, qui opponit evidentem defectum scientiæ, vel personæ contra promovendum ad aliquam dignitatem, pœnitere non potest.

32. *Ex eo.*—Canonicus impubes ad electionem non vocatus, non agit de contemptu.—* Hodie ex Trident. sess. 24. c. 42. de refor., Canonicus Collegiata debet esse annorum quatuordecim; Cathedralis verò viginti et duorum inceptorum, si nullam habeat curam animarum.—* Non professi cum professis, vel conversi laici cum clericis electioni interesse non debent.

33. *Si postquam.*—Si ab electione cathedralis, vel regularis Ecclesiæ in scriptis ex causa probabili appellatur ad Papam, ea pendente, confir-

24 Idem.
25 Idem.
26 Idem.
27 Idem.
28 Idem.

29 Idem.
30 Idem.
31 Idem.
32 Idem.
33 Idem.

matio facta per Ordinarium non valet. Requirit Decr. *Cupientes* 16. supra, non solum quod electus veniat, sed quod usque ad finem negotiorum prosequatur; et habet locum etiam cum appellatur à confirmatione, vel provisione.

34. *Cum ex eo.*—Dispensare possunt Episcopi et Superiores cum habentibus paræciales Ecclesias sibi subjectas, quòd usque ad septennium studendo non teneantur ad Sacerdotium promoveri: ad Subdiaconatum tamen debent promoveri intra annum; aliàs sunt privati. Et illo durante septennio, debet in illis Ecclesiis idoneus poni Vicarius, de fructibus Ecclesiæ sustinendus. Elapso septennio, debet Rector intra annum in Presbyterum promoveri.—* Per ly *Superiores*, intellige Superiores ipsis Episcopis, unde excluduntur inferiores Prælati. Nota tamen ex stylo præcisissimo Dataria, nec Papam tales dispensationes concedere, sed præcisè servatur c. *Licet Canon*. 14. ut supra; quamvis hoc idem caput præservatum fuerit à Trident. sess. 5. c. 4. sess. 6. cap. 2. sess. 7. cap. 11., et sess. 23. c. 4. de refor. **

35. *Commissa.*—Ad pœnam privationis Rectoris paræcialis Ecclesiæ non promoti requiritur quod annus integer sit completus. Annus ille non currit justè impedito. Post privationem Ecclesia eidem conferri non potest. Non promotus, si eo animo receperat Ecclesiam, ut fructus anni perciperet, tenetur ad restitutionem ipsorum. Et qui ea mente contulit, Ecclesiam servare debet indemnem.

36. *Si Abbatem.*—Abbas exemptus eligitur in Episcopum, sed transire non potest sine licentia Papæ, vel Legati à Latere.—Legatus à Latere potest confirmare electiones Episcoporum exemptorum; reliqui non sine speciali mandato.

37. *Compromissarius.*—Si Compromissarius non eligit intra tempus juris, ad proximum Superiorem devolvitur potestas providendi; si eligit, sed indignum, indistinctè redit ad compromittentes, nisi id scienter ratum habuerint. Idem si electus idoneus non consentit. Si compromissarius scienter elegit indignum, ipse solus ab ecclesiasticis beneficiis triennio est suspensus; nisi id compromittentes scienter ratum habuerint. Et pœna prædicta suspensionis non habet locum in Episcopo compromissario, nec in electione inferiorum Episcopis, et restringitur illi pœna ad beneficia, quæ obtinet in Ecclesia offensa. Et idem in beneficiis illius, qui deficit in probatione ejus, quod objicit in personam.

38. *Procurator.*—Procurator, ad appellandum secundum formam cap. *Ut circa*, non est idoneus, nisi omnia objecta et forma juramenti in procuratorio exprimentur.

39. *Si confirmationem.*—Cassata confirmatione, vel causa nunciata propter defectum jurisdictionis, vel solemnitatem omissam, non propter hoc electio cassata dicitur.

34 Idem.
35 Idem.
36 Idem.

37 Idem.
38 Idem.
39 Idem.